

6. Puella in hortō (cap. I-V)

Iūlius, quī magnam pecūniā habet, in magnā et pulchrā vīllā habitat cum familiā suā. Vīlla eius
habet ātrium et peristylum et multa cubicula. Iūlius et Aemilia trēs liberōs habent: duōs
filiōs, Mārcum et Quīntum, et ūnam filiam, Iūliam. Iūlia parva puella est.

Ubi est filia Iūlii et Aemiliae? Iūlia est in hortō vīllae. Puella laeta rīdet et rosās carpit. Quot rosās
carpit Iūlia? Quīnque rosās magnās et pulchrās carpit. Rosae Iūliam dēlectant.

Iūlia, quae sōla est in hortō, puerōs vocat: "Venīte, Mārce et Quīnte!"

Puerī ex peristylō veniunt et Iūliam in hortō vident.

Iūlia: "Ecce quīnque rosae. Vidēte rosās meās!"

Quīntus: "Quīnque parvus numerus est! In hortō est magnus numerus rosārum. Centum rosae
hīc sunt!"

Mārcus: "Nōn centum tantum, sed mille rosae in hortō meō sunt."

Iūlia: "Nōn tuus est hortus!"

Mārcus: "Neque tuae sunt rosae!"

Puerī ab Iūliā discēdunt. Rosae eōs nōn dēlectant.

Iūlia rūrsus quīnque rosās pulchrās carpit. Quot rosās iam habet Iūlia? Puella nōn quīnque
tantum, sed decem rosās habet: quīnque et quīnque sunt decem.

Estne decem magnus numerus? Nōn magnus numerus est, neque parvus.

Puella, quae rosās amat, laeta est et cantat.

Iūlius, pater Iūliae, ex vīllā venit. Iūlius, quī baculum habet, īrātus est et filiam suam interrogat:
"Estne Mēdus hīc in hortō?"

Iūlia respondet: "Nōn est. In hortō nūllus est servus, sed ecce filia tua hīc est. Salūtā mē, pater!"

Iūlius: "Salvē, mea filia!"

Iūlia: "Ecce decem rosae! Habē eās, pater! Tuae sunt rosae. Nōnne pulchrae sunt?"

Iūlius nōn respondet, sed Mēdum vocat: "Mēde! Venī, improbe serve!"

Iūlia interrogat: "Cūr improbus est Mēdus?" neque pater respondet, sed ab filiā suā discēdit – sine
rosīs.

Iūlia: "Cūr discēdit pater neque respondet? Is nōn amat rosās – num filiam suam amat?" Iūlia
iam nōn laeta est neque cantat.

Iūlius rūrsus Mēdum vocat: "Mēde! Me-ē-de!" sed Mēdus, quī nummōs dominī habet, iam abest
ab vīllā et ab hortō.

3. Pater dormit (cap. I-III)

Iūlia, filia Iūlii et Aemiliae, est parva puella laeta quae cantat et rīdet. Sed iam nōn cantat puella neque rīdet, sed plōrat: “Uhuhū!” Cūr plōrat Iūlia? Puella plōrat quia Mārcus eam pulsat. Mārcus est puer improbus qui parvam puellam pulsat – et rīdet!

Aemilia audit filiam quae plōrat.

Iūlia Iūlium vocat: “Pater! Pa-ater!”

Māter filiam audit, neque pater eam audit.

Aemilia Iūlium nōn videt et Syram ancillam interrogat: “Ubi est vir meus? Iūlia eum vocat. Cūr nōn venit?”

Syra: “Dominus dormit.”

Aemilia: “Ō! Filia plōrat – et pater dormit!”

Iūlia: “Uhuhū! Mārcus mē pulsat!”

Mārcus rīdet: “Hahahae!”

Pater audit filiam quae plōrat et filium qui rīdet. Iam nōn dormit Iūlius.

Iūlius venit et Aemiliam interrogat: “Cūr Iūlia plōrat et Mārcus rīdet?”

Aemilia respondet: “Mārcus rīdet, quia Iūlia plōrat, et Iūlia plōrat et tē vocat, quia Mārcus eam pulsat. Puer improbus est Mārcus!”

Iūlius Mārcum vocat. Mārcus venit et Iūlium īrātum videt, neque iam rīdet puer. Pater īrātus filium improbum verberat!

Iam nōn Iūlia, sed Mārcus plōrat.